inquit os suum. thesauros scilicet sapientiae et scientiae dei reclusis
aditis templi sui ora reserauit. Ergo et tu aperi os tuum. sed prius ut
aperiatur implora. Si enim paulus in adapertione oris sui implorat
auxilium. multo magis implorare te conuenit. Ostendit enim et cla
uem scientiae qua os aperire tuum debeas. apostolo dicente. Aperi os tuum uer
bo dei. Verbum dei clauis tui oris est. clauis scientiae oris tui clauis
est. qua laxatis silentii catenis imperitiae claustra reserantur.

De beatitudinibus.

BEATI pauperes quia uestrum est
regnum dei. Beati qui nunc esuriunt et sitiunt quia satura
buntur. Beati qui nunc fletis quia ridebitis. Beati eritis
cum uos oderint homines. Quatuor tantum beatitudines sanctus
lucas dominicas posuit. octo uero sanctus matheus. Sed in istis octo
ille quatuor sunt. et in istis quatuor ille octo. Hic enim quatuor ue
lut uirtutes amplexus est cardinales. ille in illis octo mysticum
numerum reserauit. Pro octaua enim multi scribuntur psalmi. et man
datum accipis octo illis partem dare fortasse benedictionibus. Sicut
enim spei nostrae octaua perfectio est. ita octaua summa uirtutum est. Sed
prius quae sunt ampliora uideamus. Beati inquit pauperes spiritu quoniam i-
psorum est regnum celorum. Primam benedictionem hanc uterque euangelista
posuit. ordine enim prima est et parens quaedam generatioque uirtutum.
quia qui contempserit secularia. ipse merebitur sempiterna. nec potest quisquam
meritum regni celestis adipisci. qui mundi cupiditate possessus
emergendi non habet facultatem. Secunda benedictio. beati inquit
mites. tertia. beati qui lugent. quarta. beati qui esuriunt. quinta. be
ati misericordes. sexta. beati mundo corde. septima. beati
pacifici. Et bene septima. quo die ab omnibus mundi operibus
requieuit deus. Dies enim quietis et pacis est. Octaua. beati qui persecutionem
patiuntur propter iustitiam. Veni domine iesu. doce nos ordinem beatitu
dinum tuarum. Neque enim sine ordine dixisti primo. beatos pau
peres spiritu. secundo. beatos mites. tertio. beatos qui lugent. Etiam

diligenter